2.

ELEGIAE DE PESTE DE EAQVE MEDICINAE PARTE QVAE IN VICTVS ratione consistit. Ad COSMVM MEDICES Florentinorum Ducem, Authore IOANNE VRSINO & Doctore Medico, & Poeta laureato.

Quibus obiter præpositæ sunt expostulationes due in detractores.

MVSCA: ETIAM IMPIETATIS VLTRIX.



ALEXANDRIAE

1549.

2.

ELEGIAE DE PESTE DE EAQVE MEDICINAE PARTE QVAE IN VICTVS

ratione consistit. Ad COSMVM MEDICES Florentinorum Ducem, Authore IOANNE VRSINO & Doctore Medico, & Poeta laureato.

Quibus obiter præpositæ sunt expostulationes duæ in detractores.



ALEXANDRIAE

1549.

MATTHEI GRIBALDI IVRIS CONSVLTI IN LAVDEM Ioannis. Vrsini Medici ac Poetæ Itali.

Cum populos rapidis Phœbus vexare sagittis
Vellet, & ignotis sternere vulneribus,
Edixit ne quisquam hominum sua luderet orsa:
Auderet medicam ne've adhibere manum.
Iussa Dei timuere omnes, ac primus Osiris
Virbius a Stygijs quo reuocatus aquis,
Semifer hic Chiron presit sua dogmata, Pæon
Substitit, & coi gloria summa soli.
Magnus Arabs siluit, siluit facunda Galeni
Copia, in hoc hæsit cætera turba patrum.
O genus infelix hominum, quis numinis iram
Auertet? quis te his cladibus eripiet?
Vnus erit, uel nullus erit, qui occurrere possit,
Iratumq; tibi conciliare Deum.
Inclytus Hesperijs ueniens Vrsinus ab oris
Vnus adest subitam qui tibi præstet opem.
Vrsinus diuum Medicus, Phœbiq; sacerdos
Cui Clarij laurus, cui bene nota Tripos.
Explicat hic uires morbi, causasq; latenteis
Occurit, telis Argyrotoxe tuis:
Exulta genus humanum, plaude ammodo fælix,
Erige & Vrsino clara trophæa tuo.
Quod populo Martis Decij, quod Curtius olim,
Vrsinus cunctis præstat idem populis.

IACOB. SECVRIVAGI IN COMMEDATIONEM Elegiarum Ioannis Vrsini

DISTICON.

Cognita quo diræ tibi sint contagia pestis,
Vrsini querulum perlege lector opus.

IO. VRSINI DOCTORIS MEDICI ET Poetæ Laureati, in detractores.

EXPOSTVLATIO PRIMA.

SI mihi pœonias cesſit podalirius artes,
Sic caput hoc cinxit bina corona meum.
Si mihi namque datum eſt nature ſoluere griphos,
Num tantum phœbi terra caleſcat equis,
Aut quo perpetuum voluatur numine cœlum
Num ſine fœmineo ſpermate fœtus eat.
Corde vtrum, an cerebro, vite ducatur origo
Quis plantas, ſegetes, ſpiritus intus alit.
Qui fit vt Vrſini damnet per compita nomen
Et premat obliquis liuida turba ſtrophis?
An quia de noſtro non pendet pectore torques?
Nec fluat ad talos oſtrea abolla meos?
Ergo licet redeat medicorum gemma Galenus
Ni placeat tyria veſte Corebus erit.
Simplex lana placet, palij ſplendore tumeſcant,
Qui rude ſub nitido tegmine pectus habent.
Sepius oſtrino minor eſt in corpore virtus
Sepe intus ſtatuæ nil niſi ſordis habent.
Nec phaleris laudatur equus, nec frondibus arbos,
Ille pedum curſu, fructibus iſta placet.
Sic neque me faſtus, ſed virtus inclita laudat
Non toga, ſed probitas, non tumor, imo pudor.
Parcite vos ciues phaleratis fidere vitam
Vel quibus eſt multus non ſine fraude lepos.
Fidite vos potius quorum miranda per orbem
Facta volant, vel quos publica fama probat.
Per ſuperos oro medicis ne credite, quorum
In rabiem ſtygius pectora liuor agit.

IO. VRSINI DOCTORIS MEDICI ET Poetæ Laureati in detractores.

EXPOSTVLATIO II.

Dii cœli & terræ que nam mala frendet erimnys
Quæ furit alecto, queue megera fremit?
Liuer ab epoto diuum pietate veneno
Sperabam fato commodiore frui.
In me sed liuor furiali percitus œstro
Tincta cerastino spicula felle vomit.
Cursitat huc, illuc, causas & mille nocendi,
Exigit: in casus gens studiosa meos.
Damnat quod doceam primas iuueniliter artes.
Et laudem in vitium vertere grande studet.
Me negat Vrsinum, lepidum negat esse poetam
Hei summam nostri liuor honoris habet.
Me uocat empiricum, & doctum contendit iatrum.
Sic ars, sic studium deperiere mihi.
Quicquid doctrinæ multos studiosus in annos
Congessi: id totum iudicat esse nihil
Ergo prestiterit facili certare petauro.
Timpana vel celeri tangere rauca manu,
Siue meretricum papulas curare malignas.
Atque Lupanaris verrere quisquilias.
Quam vigili rerum studio perquirere causas
Aut aganipeæ plectra ciere lyræ
Ite alio Musæ, procul hinc discedite, iam me
Pœnitet aonijs inuigilasse choris.
Ite alio Musæ, aut causam defendite nostram
Armaque pro vestro sumite mancipio.
Vos etiam ciues, & tu dignissime prætor
Si merui in vestra sit mea causa manu,
Mille licet de me fingat mendatia liuor.
Qualia per somnum nec meminisse velim,
Non tamen efficiet quin toto candidus orbe
Credar, & æternum nomen in astra feram,
Admoto vt faciem referunt specularia plumbo,
Sic mea liuidulis gloria maior erit,

ILLVSTRIS. COSMO MEDICES FLORENTINORVM Ethruriæq; Duci Inuictisſimo.

Ioan. Vrſinus F. O.

CELSItudinem tuam ſalutandi cupidus Princeps Auguſtiſsime quam ob animi dotes eximias mortales omnes admirantur, & ueluti numen aliquod celitus demiſſum obſeruant, munus aliquod mecum diutius excogitaui (nimirum Parthos imitatus qui nunquam ſuum Regem ſine munere ſalutant) quod illi offere poſſem. Verum dum ædiculæ meæ angulos omnes ſtodioſe perquiro, dum ſcriniorum omnem ſubuerto ſupellectilem (Dij boni quam exiguam) nil tandem ſeſe offert tanto Prencipe dignum, niſi munus hoc noſtrũ quod uides cartaceum. Quod eo illi liberiori animo offere nõ ſum ueritus, quod mihi exploratum eſt quicquid fauoris, quicquid benignitatis, quicquid ſubſidij habet illa, id totum inſtaurandis ſtudijs euehendisq; ſtudiorum aſertoribus uendicare uidetur, qua in re ut in ceteris animi dotibus Coſmum Illum Medices uere cognomẽto magnum, ceterosq; maiores tuos non modo refers, ſed etiam longo interualo ſuperare contendis. quorum opera bone litere Vandalorum Gotorumq; iniuria opreſſe ac pene extinctæ, uigorẽ pri ſtinũ reſumpſerũt, & in lucem reuocate ſunt. Exiguum certe eſt quod damus, ſed eo tibi gratius eſſe debet ꝙ inde utilitatis plurimum (tua cauſa) exportaturi ſint philomuſi omnes & boni uiri quam ex gemmis quæ ab ultimis occeani litoribus adferrũtur. Papiraceũ (in quã) eſt, ſed quouis ære phẽni⁹, neq; enim æheneæ ſtatuæ, aut marmorea monumẽta, nec ciuitates quidem ita hominis famã perpetuam & vbiq; gentium propagant atq; Poetarum egregia ſcripta. Perierũt certe & tuæ ſemper florentiſsimæ Florentiæ & aliaꝝ pene omnium Ciuitatum cõditorum nomina, Perijt fama, ſed qui ob egregias animi dotes

IOAN. VRSINI MEDICI ET POETAE LAVREATI, ELEgiæ de peste, & victus ratione.

ELEGIA I.

CARMINE fert animus Phœbi tractare sagittas,
Quid fera tam mitem, uertat in arma Deũ.
At tu Phœbe precor (tu namq; es carminis author)
Digneris raucæ, ducere plectra Lyræ.
In te bella paro, uerum si tela ministres,
Tu belli pariter, pacis & author eris.
Ergo refer causas, moueant quæ sidera cœlum,
Quæ terras, ut nos, tam fera pestis agat.
Nonne famis satis est? num belli? nonne malorum?
Ni mors accedat, tot uiolenta malis.
Non datur (heu) fratris dextre coniungere dextram,
Nec pulsus uarij signa notare manu.
Non palma aut oleis sæuos lenire dolores,
Colluere aut buccas iam pereuntis aqua.
Nanq; patrem soboles, uitat noua nupta maritum,
Tota hic lex sanctæ cessat amicitiæ.
Hic gemit, ille frequens tetro suspiria odore
Euehit, huic pectus tussis anhela quatit.
Lancinat huic ceruix uelut acri effossa terebro,
Huic oculi quouis sæuius Angue micant.
In pessum hic fertur tanquam lymphatus Orestes,
Hic uocat in subitam tetrica fata necem.
Vidi ego (quis credat?) ueluti Telamone creatum
Præ rabie in pectus condere tela suum.
Hic sitit, huic arens tegitur scabredine lingua,
Hic uigil in nuda corpora uersat humo.
Sic misere oppetimus, nec quisquam membra sepulcro
Condit, sed crebro linquimur esca feris.
Immo (quod est grauius) defossa per aera corui

Fraternis

Prima causa pestis uitia. Fraternis oculis exta uidenda ferunt
Ergo luem hanc nobis quis enim nisi tactus erynni
Demissam a summo non putet esse Deo?
Moribus huic certe, sed nulla occurritur herba,
Plus prece quam succis flectitur ira Iouis.
Hic uita & precibus, non thure aut cede litatur,
Nota. Vt mores pariter uulnus, opemq; ferant.
At scelerum pedor si Diuum offenderit aras,
Pestis, bella, fames, nos mala cuncta prement.
In nos bella frement armorum plena tumultu,
Et partas nostris miles habebit opes.
Crebraq; concutient humanas fulgura mentes,
Nec iacta in cassum semina reddet humus.
Omnia propter hominem et hominem pro omnibus Deum agnoscere. Quippe Deus uasto quicquid spectatur in orbe,
Hoc hominis totum subdidit imperio.
Astra, solum, cœlum, tumidas simul æquoris undas,
Quicquid uel tellus, uel maris unda capit.
Nimirum ut totos illi referamus honores,
Non ore, at potius relligione, fide.
Ast ubi cœpit homo legem contemnere Diuum,
Iure homini bellum cuncta creata mouent.
Non ita sponte graues ut quondam campus aristas
Fert, neque de rigido robore mella fluunt.
Non sic uiniferis flectuntur uitibus ulmi,
Non ita fulcitur uellere mitis ouis.
Vis minor est plantis, immo pars maxima nobis
Pene perit, nomen uix habet ulla suum.
Eia agite o socij uitiorum linquite sordes,
Vt placeat summo uita pudica Deo.
Parua uoluptates consumunt tempora fœdas,
Perpetuum uirtus inuiolata manet.
2. causa Sol. Tu quoque conuexi decus & lux publica cœli,
Accedis tantis argirotoxe malis.
Nunc das nunc (mirum) uitam mortalibus aufers,
Cur tua non una spicula sorte uibras?
Ammodo parce, precor, Christi uexare popellum,
In Graios iterum tela retunde canes.
3. causa, aer. Hinc tibi succedit tanto crudelior Hæra,

Quantum fœminea distat ab arte puer.
Tu puer es mitis, Iuno crudelior angue.
Gorgoneo, pectus quum quattit ira ferum
Scilicet inuiti Cœlum captamus hiatu,
Cum Cœlo pariter quicquid abesse potest.

Hip. de flat. 1. aer oim rex & morborum causa.

Vnde phthisis (uitiant Pulmones Aera tetris
Flatibus) ut pestis sæua timenda uenit.

Ari. probl.

Hinc necat intuitu galli uixcosa propago
Eneruat pueros & uice trigis anus.
Sæpe uices subeunt uenti Iunonis iniquæ,
Vel soluens calidas pestifer Auster aquas.

4. causa uenti.

Sed mage cum rapido Procyon latrauerit astro,
Si flarit nobis Auster obesse solet.

Anticam s. stella que & sirius

Nanq; sithim, & pigros rabiosus sirius æstus,
Et causas secum mille doloris habet.
Hinc terre inficitur putrido spiramine Cœlum,
Quo Segetes, Homines, quo Pecus omne perit.

5. causa halitus terre.

His Cœnum, Foricæ, lanium, uel Stagna, mephitis
Accedunt, Cœlum quæ uitiare solent.
Ergo procul ciues arcete cadauera uestris
Mœnibus, & putridis urbs uacuetur aquis.

6. causa. terre putor ex aquis maxime sulfureis atq; corruptis prouenies

Stagna (licet soleant arcere penatibus hostem)
Sæpe nocent, liquidis ni fluat amnis aquis.
Nanq; hebetes reddunt & tristi fronte colonos,
Deformantq; cutes, & mala plura ferunt.

Impurus aer. non solum corpus. sed & intellectum ingeniumq; hebetat.

Sunt qui uel totas torquent in Sydera causas,
Et puto, sed nutu Iupiter astra regit.
Ergo pio summum studio uenerare parentem,
Vt tua fœlici remige nauis eat.

7. causa & precipua influentia syderum.

ELEGIA. II.

Prognostica.

HActenus omniuoræ causas, mox signa futuræ
Certa canam, Aonij fer pia turba pedem.
Non ego quod Thamyris brauij certamen iniqui
Vobiscum subeo, nec fera bella paro.

Bella gerant alij, summo vos semper honore,
Excolui, vestro proinde fauete viro.
Non peto terrificam referant quæ sidera pestem,
Haud vacat imparibus promere tanta modis.
Olim forte canam Smyrnæo digna cothurno,
Et pede quo debet nobile surget opus,
Terra mihi satis est, cœli petat ardua Phæton,
Vel qui de proprio nomine fecit aquas.

Primum futurae pestis signum despectus religionis.

Dicite quando lues nutu est ventura Deorum,
Quum fuerint summi iussa relicta Dei.
Cum terras charitasq; fidesq; Astræaq; linquent,
Cum videas fraudes pro pietate coli,
Tunc fera mors veniet diris fulcita sagittis,
Tollet & e medio falce superba reos.
Miles & ignotis veniet Cataphractus ab oris,
Nec tutos proprijs nos sinet esse focis.
Iam trux præ foribus Mahometis turba tumultus,
Excitat, & clausum iam mare classe tenet:
Et mox (ni superi pro nobis acrius instent)
Ausonias terras Marte superba premet.

Digressio.

Omnia diripient, subuertent funditus vrbem,
Sanctam olim, & mundi desinet esse caput:
Vt penitus Thæbe centum iacet obruta portis,
Vtq; iacet Graium diruta Troia manu.
Vtq; iacet, quondam toto præstantior orbe,
Christi terra parens, pene redacta solo.

Digressio in Romam caput mundi.

Sic quoque quæ fidei sanctas moderatur habenas,
Ni mutet mores Martia terra ruet.
Nam scelerum pœdor, vestrorum & lerna malorum,
Impietas, fraudes, & sine lege Venus.
Religio despecta Deum, violataq; iura,
Cogunt dira tibi bella parare Deos.
Eia age fac quadret titulis (nam sancta vocaris)
Res ipsa, & rursus tu caput orbis eris.
Non ita Diues eras, nec formidabilis orbi,
Cum raperes tenui regna aliena manu.
Augebat numero vires concordia paruo,
Mens nec erat tantis victa cupidinibus.

Scelus

Siccine sic cessas Latio depellere Turcas?
Et quotquot latium barbara castra petunt?
Linque malos mores, & toto pectore CHRISTVM,
Excipe, succedent sic meliora tibi.
Nocte malum varijs quando micat ignibus AEther, Crebre comet. caniones.
Visaq; cum fuerint decidere astra polo:
Si flant tunc venti, Procyon, vel nimbifer Auster,
Ex Cœlo infecto sint tibi signa luis.
Accedant varij morbi, mors pallida furtim,
Hinc aer varius, certius omen habent.
At si diuersis tellus animantia formis,
Gignat, tunc terre viscera pestis habet.
Turba vel in crinidis quam misit Smintheus agros, Mures.
Rana ve quæ nimbis leucopheata venit.
Siue locustarum Syrijs male grata colonis,
Turba frequens fuerit, nuncia pestis habent.
Fert quoque signa luis Phœbes ros infima proles,
Cum necat epotos mane coacta canes.
Sunt qui verá putent diræ præsagia pestis.
Si quando hanc nobis phasmata diua canunt.
Vidi ego Vercellis (ter sextus voluitur annus) Hystoria.
Nescio quem diuum hanc præcecinisse luem.
Seu pia virgo fuit, seu Rochus, siue Deorum,
Quisquam, non fictum phasma fuisse palam est,
Nam velut ob ducta nullo discrimine falce,
Aut prata, aut segetes messor adæquat humi.
Sic fera mors cepit totam sæuire per vrbem,
O nimium socijs mors violenta meis.
Denique, non proprio cum currunt tempora cursu,
Si bene cuncta notes, nuntia pestis habent.
Mirum, pene necem portendunt omnia nobis,
Nil vitam penitus præter amare Deum.
Ergo nil metuens secura nauiget aura,
Deuouit summo qui sua corda Deo.

ELEGIA III.

VIncere quid valeat tantæ contagia pestis,
Præbe animum paucis nostra thalia canet.
Jesus ois hōis medela. Tota salus hominis solum dependet ab illo,
In cruce qui moriens crimina nostra tulit.
Cui mare, cui tellus, cui cœli sidera parent,
Quem baratrum & mundi cuncta creata colunt.
Qui patrem linquens summo descendit olympo,
Clauderet vt stygij limina dira fori.
Ergo Carybdeis aut Syllæ fluctibus acti,
Ad portum huc lassæ vertite nauis iter.
Hoc sine nil themo, nil remi, aut carbasa prosunt;
Vnca nec in duris anchora fixa vadis.
Hoc sine quicquid ages steriles vanescet in auras,
Hoc sine nil artes, nil medicina valet.
Ergo salutifero solum fidamus HIESV,
Non sinet is medio vortice damna pati.
Imo dehiscentis lætum maris eruet vndis,
Stabit & afflictæ portus & aura rati.
Aesculapius. Si Phœbi soboles speciem mentita draconis,
Ausonia hanc potuit pellere ab vrbe luem.
Quantum posse putas tantum qui distat ab illo,
Quam nihil a toto quam stygis vnda polo?
Cito, longe & tarde. Proxima pestiferam cura est cito linquere terram,
Sit procul & tardo sit repetita gradu.
Tecta velim vt fugias quæ phœbi lampade flagrant,
Sic quoque quæ nimio frigore adusta rigent.
Flamma vorax soluit vitalem in corpore rorem,
Atq; ignem, vitium contrahit inde cruor.
Hinc sitis, anxietas, dispepsia, mortua orexis,
Cum febre sintexis cunctaq; damna scatent.
Aspera sed boreas tussim prorritat anhellam,
Vesice & neruis, pectoribusq; nocet.
Qualis domus eligẽda. Proinde domus tua sit Cœlo constructa benigno,
Quæ Phœbi roseis mane tepescat equis.
Sitq; excelsa patens grauibus non obsita lustris,
i. de regi. Sanitatis. Sint foricæ & lanium, Stagna, Sepulchra procul:
Sorbi, Nux, Ebuli, Fimus, & Piscaria caulæ,
Putre olus, Orithon vel male quicquid olet.

Ad Boream vergat, calidum nullatenus Austrum,
Si licet, hanc vitreis perfluat Amnis aquis.
Frondeq; populea, aut molli prosternere Iunco,
Prodest, quando æstas torrida scindit agros.
Accedant Tamarix, cum Robore, Vitis, Arundo.
Nenufar, & Violæ, vel Rosa Verna, Salix.
At contra, calidis debet prosternier herbis,
Cum sol astriferi cornua panos habet:
Sed quia cum putret tetro spiramine Cœlum,
Lædit Olus, morem hunc non bene quisque probat,
Nanq; iuuant animos croceo Topiaria Achanto,
Aut placidum suaui spargere flore Thorum.
Me quoque delectat vario luscinia cantu,
Psithacus aut dulci carmine si qua placet:
Crebro hæc tabificas procul arcent pectore curas,
Ad numeros cogunt nanq; ciere lyram.
Aera vel Virus conceptum viscere Terræ,
Vt reprimas, lecto fac micet igne focus,
Nox vbi multiuago transmittit Sidera lapsu,
Fac lustret totam lucida flamma domum.
Sola hac lege licet nocuos arcere vapores,
Præcipue sæuit cum borealis hyems.
Ast vbi decrescunt æstiuis ignibus amnes,
Accedas raro, nec sine lege focum.
Turba frequens hominum tetris quoq; flatibus Aulam,
Inficit, occludas si sapis ergo fores
Hinc ventos nocuos totis exclude fenestris,
Aera vel tosto Magmate vince grauem,
Magmata nanque manu crebro gestare iuuabit,
Leucoia aut Violas, Ozima mixta Rosis.
Sed vite prescribe modum, contraria vita,
Certa tuos victus meta sit ante pedes.
Sola hæc Nestoreos vitam traducit in annos,
Hac tibi Milonis corpore robur erit.
Ingenium, & vires vegetat, fert omnia sola,
Crede mihi, plus hæc Pæonis arte valet.
Sed contra, ingluuies cunctorum lerna malorum,
Ante diem multis ad styga pandit iter.

Sal. 10. de inge. cap. 8.

s. in hyeme.

Sal. 10. de ingenio.

Virtutis ratio.

Quantos

Quantos ante diem ventris morbosa voluptas,
Sustulit, ingratæ ponite frena gulæ.
Ponite frena gule, transit cito fœda voluptas.
Sobrietas contra gaudia longa parat.
Ergo, non modicum cœpto diuertere calle,
Cogor, & ad victum plectra mouere lyræ.
Ardua curarum (moneo) fastidia vita,
Ex animo sanus si cupis esse diu.

Pellendæ curæ.

Tristia pelle procul, corrumpunt illa iuuentam,
Ad varios morbos membraq; sana parant.
Vtere couiuiis, misce solatia curis,
Tange chelim, cieas per iuga summa canes:
Lude pila, vel lude globis, certato palestra,
Quære tibi socios quos ioca honesta iuuant,
Hinc iram lætale malum, bilemq; furentem,
Litem, odiumq; pari lege cauere decet.
Sit tibi flaua Ceres putridis non nata palustris,
Aut quæ clade hominum luxuriauit humo.

Panis ex lolio pessimus. s.

Non corrosa adsit, lolio aut sociata molesto,
Sola sit & crebro furfure munda suo.
Furfure munda suo, fermento & turgeat acri,
Adde salem & vitrei pinsito fontis aqua.
Et puto pinguiculis prodest commixta siligo,
Vel cuius feces aluus auara tenet.
Hordea nec spernent quos bilis flaua molestat,
Vel qui turget hydrops insaturatus aquis:
Illa iuuant etiam cum torrent arua per æstum,
Ex alijs granis panis obesse solet.
Forma etiam confert, molem ne surgat in altam,
Aut referat paruos pasta coquenda globos.
Vtraq; non similes inducit corpore morbos.
Forma, sed illa nimis nutrit, at ista parum.
Vt iuuat & prodest quem nundum tertia Phœbi,
Lux vidit, clybani sic nocet igne tepens.

ELEGIA. IIII

Vinum.

Iam tu

IAm tu Bacche veni frontem redimite corymbis,
Nunc tua iura cano, Baccche bimater ades.
Sed tecum Dryadesq; deæ, Satyriq; bicornes
Adsint & varia timpana mota manu.
Te sine torpescit quicquid spectatur in orbe,
Te sine Pyerides carmina rauca canunt.
Tu vegetas animos (mirum) æqua potentia diuis
Est tibi, tu solus cuncta venena fugas:
Ingenij fomes, viui & fultura caloris,
Tu requies hominum, lætitiæq; parens. Sel. 8. subtil. virtutum ani- malium.
Tu vires reparas, tu sæuas excutis iras,
Nutris, electi vimq; cruoris habes.
Ergo bimater ades, vati tua signa colenti Secun. par. Aphor. co. 19
Aspira in titulos carmina culta tuos.
Casta precor doceas, videar ne fingere carmen,
Quale canit succis concita turba tuis.
Si modus accedat, velox in carmine calcar
Bacchus habes deme hunc coruna fronte geres,
Cui rude, cui tenue aut crassum, cui deniq; pallens
Conueniat, vel quo tempore Bacche refer.
Multis vina placent fuluo distincta colore,
Sed caput, & neruos cunctaq; membra grauant,
Flamma vorax vt summa petens admota perurit,
Sic quoque quæ flammas vina referre solent.
Alba iuuant quando resonant arbusta cicadis,
Vel quibus exurit bilis amara iecur.
Contra, sæpe suo conturbant frigore corpus,
Præsertim gelidis quæ referuntur aquis.
Illa probo quæ sunt mediocri fulta furore;
Qualia in Eridano dat Basiana tibi.
Dulcia, non cauto quamuis sint grata palato,
Linquat, quem choleræ vel sitis ægra premit:
Vel quibus immodicæ tetri sentina cruoris
Splen, vel naturæ dux iecur intumuit.
Sunt qui dextra mitent quibus est vis parua teporis
Innati, aut crassum corpus habere volunt.
Pace loquar, lexe est Graium deprompta culinis,
Non tamen est doctis illa recepta viris.

Dulcia

Proh dij, quam nocuit nimio maduisse meraco,
  Id spasmum & paresim milleq; damna parit.
Hic cubat in faciem, prostrato hic corpore stertit,
  Hic fœdo incoctas euomit ore dapes.
Aler pene cadens incerto tramite gressus,
  Soluit, & hic medio vix ualet ore loqui.
Ille reformidat radiantis lumina Phœbi,
  Cœlum hic lampyrides nocte replere putat.
Vidi ego clamantem radijs se solis aduri,
  Cum starent triuiæ lumina plena Deæ.
Scintillas ueluti, tunc nix concreta micantes,
  Reddebat, rapidi huic lumina solis erant:
Sole necor (dixit) socij fugiamus in umbram,
  Sole, sitiq; necor, iam puto messis adest.
Hic boat, hic totam trahitur quasi truncus in urbem,
  Hic sua cœnosa corpora uersat humo.
Deniq; quadrupedes homini præstare uidentur,
  Cum fuerint nimio membra sepulta mero.
Parcius ergo bibas, & uinum dilue limphis,
  Ni more Arcesilæ claudere fata uelis.
Staphilus edocuit limphas miscere phalerno,
  Presit & inuentum nobile Bacche tuum.
Forte nocet tenui limphas confundere uino,
  Qui uentrem, stomachum, aut debile pectus habent.
Adde modum, uegetat sumptum ratione meracum,
  Quorsum igitur nocuas stulte requiris aquas?

Ebrietatis descriptio.

Arcesilas bibendo obiit.
Staphilus docuit primus diluere uinum.

ELEGIA V.

Aqua.

PArce, tuas laudes taceo Nereia proles,
  Carminis & nostri pars tibi parua datur.
Quanquam prima tibi rerum tribuatur origo,
  Et uegetes mundi numine cuncta tuo,
Non tamen ipsa places, pingues spargenda per ortos,
  Vnda uale, Bacchi, non tua turba sumus.
At si forte tuum quisquam non cautus adorat,

Aquæ electio.

Flumínum & fontium bona. Munus, de rapido flumine lecta veni.
Aut consanguineæ Musis vbi cara Napææ,
Turba, leui in campos murmure colle fluunt,
Præcipue rutilos cum solis tendis ad ortus,
Si petis occiduum, aut plaustra Bootis obes.
Aqua respiciens orientem bona Sed occidentem mala. Nanque per occultos lædis subducta canales,
Aut de limosis non agitata locis.
Te tamen vsque probat decepti copia vulgi,
Vt nusquam melior nulla putetur aqua,
Sal. de boni aquæ. Et niue nata noces: contra collecta per imbres,
Prodes, si fuerint mota tonutra simul,
Sal. Sis leuis & radians, nullo suffulta sapore,
Cætera hidropotes qui volet esse petat.

ELEGIA VI.

Caro.

Liber & alma Ceres, frugi duo numina vitæ,
Parcite, si lasso perdita lora gulæ.
Vestra olim sat erant humanæ munera vitæ,
Et quicquam vobis addere, luxus erat.
Tunc hominum rectas referebant corpora pinus,
Sæpe Charon vacua puppe sedebat iners.
Plures viuacis referebant tempora ceruí,
Maius & in sano corpore robur erat.
Ingluuies malorum lerna. Ast vbi vana fames tauros deduxit ab aruis,
Ad lanium, & trucibus rethe tetendit apris.
In volucresq; arcus, in pisces repperit hamos,
Altera Pandoræ pixis aperta fuit.
Hinc febris, ascites, pleuritis, dira sinanche,
Hinc furor, hinc scabies, hinc genus omne mali.
Florida sic escis hominum corrumpitur ætas,
Sæpe dapes inter mors inopina venit.
Verum vbi non facile est antiquos vertere mores,
Electas carnes cara thalia refer.
Nolo tamen referas magni conuiuia Xersis,
Vel cupes petulans quas Cleopatra dabat.

Sint procul artocreæ aut pinguis farcimen omasi,
Non vacat in varias vita modesta dapes.
Simplex mensa placet, cui vera illatrat orexis,
Crede mihi insipidum condit orexis olus.
Xerses nulla coqui fugiens obsonia quærit,
Plus placet huic Siculo limpha cruenta mero.
Ergo dapes Graium molles venantur asoti,
Dum liceat vitulis ipse libententer alar.
Carnibus hos multis damnet licet ipse Galenus
Præfero, dum teneros vbere mater alet.
Sed palmam vitulo proles lasciua caprarum
Aufert, si nundum gramina dente secat.
Hæc bene corpus alit, iucunde hæc sanguine venas
Replet, at est duris non satis apta viris,
Sed lautis prodest: bobus vescantur adultis
Exercet quorum buris adunca manus.
Non mihi sic agni sugentes vbera matris
Arrident, stomacho sunt grauis esca meo.
Ast vbi trimestres camporum gramina tondent,
Non sic viscoso fomite corpus alunt.
Hos aries sequitur, vel qui crotone reuulsis
Testibus, aprici per iuga montis agit.
Sed bene non cunctis aries laudatur in oris,
Fert hæc laudatos, hæc dat odore graues.
Cedant hircus olens, & veruex tristior annis.
Hos nisi te cogat mandere torua fames.
Hinc caro porcorum verpis non grata peræis,
A grege vellifero commoda prima tenet.
Vos natura sues tantum produxit ad esum,
Hinc est quod semper vos remorantur aræ,
Mox nati, aut veteres, lautis a lancibus absint,
Vel mala quos scabies scabra ve psora tenet.
Anniculos porcos, vel quos glans quernea pauit,
Et sale confectos, tutius esse licet.
Ad pecus augendum, tauris seruate iuuencas,
Et bos fructiferam uomere scindat humum.
Lac & vellus, ouis referat cum prole quotannis,
Hirtaq; carniuoris capra sit esca lupis.

Farcimina & artocreę mala.
Vitulus.
Hedus.
Agnus.
Aries.
Porcus.
Vacca.
Bos.
Ouis.
Capra.

Aut quorum attenuat duros labor improbus artus,
Vel qui non lautas fuevit adesse dapes.
Sunt qui cuncta vorent nec(sic me iudice lædunt)
Cum sol urniferi frigida claustra tenet.

ELEGIA VII.

ERgo scire cupis cui longe est cura salutis,
Quæ melius corpus membra fouere solent.
Omnia cum uari,s consentan mantia membris,
Non simileis succos singula membra creant.
Caput. Arax animæ caput est, & fomitis esca maligni,
Ergo sacrum & nocuum mandere parce caput.
Cerebrum. Frigida uis cerebro, stomacho non grata, quod inde,
Fit uomitus, mensæ sit prior esca tuæ:
Cinnama nec desint, uel menta, myristica iuglans,
Zinziber, acre merum, tutius inde uora.
Non tepor, aut frigus, sed uis est mixta medullæ,
Medulla. Adde modum, mollit pectora, corpus alit,
Cit Venerem, uerum stomachum tentare putatur,
Ni simul accedant, cinnama, menta, piper:
Lactea delectant, sed aquosis ubera succis,
Ubera. Corpus alunt, Romæ gloria prima suis:
Elligito quales, dat prima nocte marito,
Virgo recens: niueo non probo lacte graues.
Oculi. Nerui. Aures. Delectent quamuis, udos damnamus ocellos,
Damnamus neruos, auriculasq; simul.
Collum. ale. Qui sine pelle bonum collum, qui finxit & alas,
Esse malas, fatum hunc suspicor esse loco.
Aereæ fomes sunt puri sanguinis alæ,
Ossea sed crebro colla uorata nocent.
Renes Esca licet renes cupido sint grata palato,
Et succo & prauo membra cruore fouent.
Sume columborum, aut uolucrũ sine crimine lumbos,
Spermatis, & multi dona cruoris habent
Humet & igne tepet multo, sed duriter hepar,
Hepar. Digeritur, lautis fit grauis esca uiris,
Cor, lien, pul. Molle cor, atque lien, pulmo, sunt esca maligni,

Fomitis, his caudam iungito, nempe mala est. Cauda.
Intestina caue, uetulæ uel rancida uaccæ, Intestina.
Implicitus uarijs ni cupis esse malis.
Ellige quadrupedum plantas, veruecis, & hœdi: Pedes.
Vel suis, aut vituli: sed bouis esse caue.
Lingua licet mollis, licet & sit sanguinis expers, Lingua.
Nolo tamen mensis hanc procul esse meis
Imo placet, sed iunge crocos, & zinziber acre,
Ozima, sampsucum, tunc cibus aptus erit Nota.
Lingua bouis. succi nunquam mentita maligni
Creditur, hanc salsam durus arator edat.

ELEGIA VIII.

Venatio.

Hic nemoruᵹ pecus, (o pharetra præsignis, & arcu;
O Fauni, o Satyri quæso fauete) canam.
Non te gargaphiæ nudam spectare Dianam
Quærimus, vt canibus qui fuit esca suis.
Sed nemora, & syluas tantum lustramus opacas;
Vt cadat in casses præda petita meos.
Ergo faue, vt primo veniant in retia damæ. Damæ.
Gratior aut patinis hinnulus esca meis, Hinnulus.
Horum præda placet: si semper diua faueres:
Crebro agerem celeres per iuga summa canes;
Inter quadrupedes lepori qui sanxit honorem
Errat, capreolis gloria prima datur. Capreolus.
Forte lepus sequitur, vel qui Balearibus olim
Frugibus erosis causa fuere famis, Lepus.
Vtraq; præda nocet, magno quæsita labore. Cuniculus.
Sed gula non nocuam, nec labor esse sinunt;
Sunt quibus ex aluo vel matris ab vbere tracti: Apud Hispanos ex Pli.
Viscere cum toto delitiæ esse solent.
Sic neque non natis ventris morbosa vorago
Parcit, sed totum mox vomitura vorat. Digressio.
Quid gula non glutit cunctorum lerna malorum?
O nimium damnis officiosa suis.

Vbere proiectos pauit lupa martia fratres:
   Contra, nos etiam mandimus exta lupæ.
Sed lepus educit naturæ dote lapillos
   Renibus, & pellem mundificare solet.
Digressio in quendã medicum. It tamen inficias Goliulmus: nempe meraco
   Cum tumet, e puteo nec satis hausit aquæ,
Tunc furit, vt Bacchi furijs Eleleides actæ,
   Quæ ue sub Idæo tympana colle mouent:
Tunc fert in medium centum problemata uulgi,
   Et quæ fœmineis sunt magis apta scholis.
Tunc agit Archilochum, conceptasq; euomit iras,
   Euomit in iustos diraq; verba Deos.
Sed quorsum istà loquor? mitem decet esse poetam.
   Lingua sile: & cœptum iam scapha pergat iter.
Ceruus. O vos turbæ deæ Triuiæ gratissima cerui,
   Parcite per nemorum quærere lustra fugam.
Vos febris expertes febrium curare rigores
   Aiunt: cura tamen non placet illa mihi.
Propterea syluis non vos venabor opacis,
   Non vos, sed tantum cornua vestra velim.
Nam caro non læto salientes sanguine venas
   Replet: & est lautis non satis apta coqui.
Ergo nefas homini lachrymantem perdere ceruam,
   Quæ se pro vita, non moritura dedit.
Aper. At setosus aper, tantum ad conuiuia natus,
   Gratus erit, gelida cum niue canet humus.
Carnibus is cunctis, Galeno iudice, præstat
   Miror qui nolit mandere uanus Arabs.
Vrsus. Vnguibus vrse ferox, Romanæ & gloria gentis
   Viue diu, & patinis tu procul esto meis.
Hinc uulpes, onager, taxus, uiuerraq;, felis:
   Non hominum, imo trucis præda leonis erunt.
Sciurus. Sunt qui comendent veneris fomenta sciuros,
Glis.   Et glires, quando hos nil nisi somnus alit.
Siue hos torua fames, siue insatiata palati
   Ingluuies, studio siue parata venus.
Siue quod in causa sit cuiq; parcere crimen,
   Ambo placent, fundit cum Ganimedes aquas.

Citlotiũ

Citlotium, & ventrem lassat spinosus echinus Echinus.
Fert stomacho, & lumbis sæpe voratus opem,
His sitiens vescatur hydrops, vescantur & illi
Quos elephansiasis fœdaue lepra premit.
Membra iuuat (fateor) venari montibus apros,
Per iuga vel celeres ære ciere canes.
Præda sed ipsa malis pascentia corpora succis
Nutrit. & est crebris perniciosa cibis
Vnde tuas laudo, quod tendas retia mores:
Non tibi, sed socijs docte Lauine tuis
Consule me potius volucres venetur opimas,
Tempora qui vitæ longa uidere volet
Illa prius pereat quæ falsis incubat ouis: Perdix.
Aut subeat verpis starna negata vices, Starna.
Non minus argoa confert aducta carina:
Et reor huic auium gloria prima datur. Phasianus.
Olim cara Ioui, Lautis nunc grata popinis
Qualea, non apti creditur esse cibi Coturnix.
Forte quod helleboro dicatur vescier albo,
Vitet Arabs quamuis nam mihi opima placet
Nunquam mi nocuit, duxit sed sæpe lapillos
Cum lotio, & veneri gaudia crebra tulit.
Mox huc turtur ades læsis gratissima ocellis:
Profluuio ventris turtur amica veni. Turtur.
Tu venerem stimulas, & abunde corpora nutris:
Tu grati stomacho dona caloris habes.
Contra, torquati tardant, hebetantq; palumbi
Inguina: nec tenerum tam bene corpus alunt. Palumbi torquati.
At (reor) his præstant a vino nomine dicti,
Ni sit mensa frequens lædit vterq; nihil. Palumbi vinagines.
Tu quoq; turde veni, cunno mihi dulcior arcto.
Cum cunnis valeat cypria, turde veni. Turdus.
Accedat merulus viduato compare tristis,
Præsertim redolens cum tibi bacca fauet, Merulus.
Ponere vocalem scelus est alachantida mensis.
Non nocet, illa patris sed fuit esca semel. Carduelis.
Parua sit ipsa licet, multum laudamus alaudam, Alauda.
Præcipue quando farra relicta legunt,

Passer. Passeris at moneo carnes vitare salacis
Si volet, ipse minax falce Priapus edat.
Vt uenerem cieant, epilepsim denique causant.
Imo necem, o valeat morte paranda venus.
Rabi moses. Restringunt paresim, prosunt quibus intumet aluus
Ex cynico spasmo torta vel ora tenent.
Picca. Da mihi luminibus caudatæ pignora piccæ
Grata, senem matrem Pantagruellus edat.
Quis tam mentis inops, gluto te trudat in aluum?
Philomela. Carmina tam docte cum philomela canas,
Vere nouo ter quinque dies oblita quietis
Et famis, exhilaras tristia cuncta sonis.
Viue, patris satis est geminos sensisse furores
Qui modo despectus stercora iure colit.
Treijcios repetat ne rursus coniugis enses,
Hyrundo. Sentiat, ingrati cum sit hyrundo cibi.
Verum sumpta frequens morbum me teste caducum
Curat, & ad venerem non leue calcar habet.
Sturnus. Aridulos video volitare in retia sturnos,
Sed malem aerijs turribus esse suis.
Vt prosint volucres & abunde corpora pascant
Nanque nocent, quibus est aluus auara nimis.
Nam capus excellit cunctas (me iudice) carnes:
Capus. Pulaster. Pullastræ merito palma secunda datur.
Gallus. Galle procul mensis esto metuende leoni,
Teste nisi posito tu capus esse velis.
Te vigili cantu pigros turbare sopores,
Clara ve quid referant astra notare decet.
Cortalemque gregem tutari cuspide rostri,
Graniferum oblongo scalpere & vngue solum!
Quæ nundum clocitat, quæ nullis incubat ouis.
Galli vxor veniet mensa secunda mihi.
Columbus. Cypria (parce) tuas cogor damnare columbas
Turmatim in campis pabula quando legunt
Cum febre sanguineos morbos & sepe sinanchem
Inducunt: (moneo) mandere parce caput.
Forte minus lædunt tentantes linquere nidos,
Vim succi implumes deterioris habent.

Quamuis

Quamuis extinctus totum ferueris in annum,
Cum medico valeas inuide paue fimo — *Pauo.*
Stercore nodosam potis es sedare podagram,
Sed caro flagranti vix valet igne coqui.
Ergo coquet stomachus? pluuiosi nuncius Austri,
Viue, tuas nolunt corpora nostra dapes.
Paue vale, valeant tecum quos torquet iniquus,
Liuor, in Vrsinum, virus vt ore vomant. — *Expedit bene dom in inuidos ex pauo digressio.*
Exigis, inuidulos cur tecum confero? reses,
Vos genitos vna stirpe fuisse reor.
Quorsum hec (si dices) medici me scribere cogunt,
Vrbis Alexandri quipia tecta colunt
Vere prius flores & apes numerabis in Hibla
Queue per autunum poma legenda caduut.
Quã tibi commemorem que in me mala crimina torsit,
Aut quas insidias inuidiosa choors
Excipio doctum Nicia de stirpe Mathæum — *Excipere Nicia medicus.*
Hunc Momus nulla parte notare potest.
Et nisi commoti Ciues pietate fuisent — *Alexandrini de Vrsino bene meriti.*
Tutati Vrsinum, puluis & vmbra foret.
Vrbis Alexandri fœlices viuite Ciues
Viuite Guascorum stemata clara domus — *Guascos famil. Antonius Trottos.*
Antoni cum prole tua (nam pendet ab ipsa
Trottorum & patriæ gloria) viue diu.
Vt Calcamugiæ splendes lux inclita gentis. — *Franciscus Calcamugine.*
Sic Francisce tibi prospera cuncta precor.
Vrbis Alexandri fœlices viuite Ciues
Sit fœlix vestrum quisquis amicus erit.
Nam prius obducto cœlum scindetur aratro — *Ostendit semper se futurum memorem officiorum Alexandrinorum.*
Cornigerum pariet parua locusta bouem
In caput incedent versis animantia plantis
Et pedibus siccis per mare curret equus,
Quod q; putat Pirho fallemur imagine rerum
Pallent doctores dogmata cuncta suos
Quam prius excludam nostro vos pectore Ciues
Aut taceam laudes Vrbs generosa tuas.

ELEG. IX.

NVnc vos amphibiæ volucres quæ littora, & vndas
Incolitis, patinis præda venite meis.
Non semper syluis Hecate venamur amica,
Non semper pulli, præsto ve turtur adest.
Non semper turdi pingues, non semper alaudæ,
Aut quæ de Scytico Phaside nomen habent.
Anas. Ergo claudus Anas referat mihi pectus & alas,
Et reddat pingui cætera membra coquo.
Dote sua quamuis sinuosi tormina ventris,
Curet, vel venerem conciliare queat,
Ille etiam duros inducit corpore succos,
Nolo tamen mensis hunc procul esse meis.
Buteo. Iure hunc subsequitur cuius fere corpore maius,
Fit iecur, ad eadem mitte magire mihi.
At si diuersis studium est prosternere mensam
Penelopes. Pænelopes ochæ iura subire solent.
Chenalopeces. Aut chenalopeces, gratissima mensa Britannis,
Anserum & ex numero si qua putatur auis.
Mergus. Sunt quibus arridet nymbosæ signifer auræ
Olor. Mergus, & ad Phrygi qui nece cantat aquas.
Grus. Et grus Pigmæas crebro bellata cohortes,
Ciconia. Serpentum aut sobolem carne pelargus alens.
Huic arridet Apos, huic Strutius: ille Lagopem
Apos. Laudat, sic ventri cuncta saburra uorat.
Admoniti summa est: volucrum quæ turba frequentat
Flumina, vim succi deterioris habet.
Ergo procul (moneo) vestris arcete culinis:
Non facit ad lautos tam grauis esca viros.

ELEGIA X.

Piscina.

IAm satis & caulas, sat chortes, sat quoque syluas,
Ad pisces neruos flecte thalia lyræ.

Caula

Caula & sylua placent, arridet turba cohortis,
Sed semper tales non licet esse dapes.
Forte quod undisono putrescent æquore pisces:
Si nunquam pisces mensa coacta ferat.
Siue quod ad uenerem proritant corpora carnes,
Sed contra, pisces hanc cohibere queant.
Ergo ferte pedem spumosi numina ponthi,
Qui noceant, qui non, ut mea musa canat,
In natos valeant fulti pietate siluri, Siluri.
Attilus Eridani qui ve fouetur aquis. Attilus.
Aut quæ se somno sternunt in littore phocæ, Phoca.
Aequoreas agitans aut Elephantus aquas. Elephantus.
Allobrogum valeant delphini insignia terræ, Delphinus.
Turpe homini fratrem trudere ventre suum.
Mole sua similis Balena Britannica monti, Balena.
Orcaq; Bizantij quam vehit unda freti.
Sic draco, quem facile est tantum constringere dextra: Orca. Draco.
Sic Leo, sic tactu permetuende, vale, Leo.
Quippe venenato dum viuunt corpora tactu Lepus.
Si lædunt, quantum mortua obesse putas?
Et sale fama refert cœtos condire Britannos,
Et fere iam toto id venditur orbe malum.
Orca sit, an cœtus, porcum putat esse marinum
Vulgus: & hoc sueuit nobilitare dapes.
Hos rude vulgus edat: scammosos æquoris alti
Quæro, vel in rapidis qui capiuntur aquis.
Et mihi pellamides, & nantes ordine tinni
Sunt grati, his tetrum sit licet esca lutum. Pellamides.
Nec minus (imo magis) ponthi qui ruminat herbas Tinnus.
Gobio, & a sardo cui mare nomen inest, Gobio.
Dente ferox pagrus, solea & laus maxima ponthi, Sarda. Pagrus.
Iudice me, succi vim melioris habent. Solea.
Sed (reor) his præstant ex auro nomine dicti,
Et congri: hinc rhumbi: & turba inimica lupis. Aurata. Congrus.
Quamuis perplaceat, fert neruis plurima damna Rhumbus.
Mulus, luminibus sæpeq; sumptus obest. Mugil.
Sic morem, contra cogor damnare Lacertos. Mulus.
Cum fera tardigradi cornua Phœbus habet, Barbo. Lacertus.

Salpa. Salpa nocet, virgis ni sit prius ictus accebis,
Sugilla hunc ferula si cupis igne coqui.
Torpedo. Non torpedo placet: nec magis Nantulus allis,
Sepia. Nec quæ ceruleas stercore turbat aquas.
Murena. Nec placet in Siculo latitans murena profundo,
Anguilla. Vel quæ terrifico nomen ab angue tenet.
Salmo. Inter aues turdus, pisces in gloria salmo.
Seu sale conditus, siue sit ille recens.
Huic certe accedit benaci gloria fontis
Carpio. Carpio: sed contra carpa lutosa nocet.
Carpa. Nec mustella placet, quamuis sit grata palato,
Mustella. Ni coquus huic addat cynnama & acre piper.
Gaudet arenosis rapidisq; innititur undis,
Hinc est, quod perdix trocta putatur aquæ.
Trocta. Electio pisci um. Et merito, quis enim hunc pisci non preferet omni?
Siue volet vitæ, siue, placere gulæ,
Pontremuli. Pontremulum fœlix, & ameni munere Cœli
Trocta. Et quia troctarum copia magna datur.
Thimallus. Musa pedem reuoca, dictus de flore thimallus
Salmo. Salmoni & troctæ, surripit ille decus,
Perca. Sed cur excludam nostro de carmine percam
Cui meritas laudes nemo referre potest?
Tu solus decoras mensas, tibi (pace thimalli)
Amnigenum & ponti prima corona datur
Quis tibi perdices vel aues ex phasi de vectas
Preferet, hunc quando torrida febris habet?
Occ... Fumosas mensis oculatas atq; boopas
Boopa. Reijce, non salsis gracia maior inest,
Deniq;, saxosis quotquot capiuntur in vndis
Cum squammis, præstant & bene corpus alunt,
Sed sapor accedat, vitreo distincta colore
Nota. Sit cutis, á vario si sapis ipse caue.
Nam qui pauonis referunt in pelle colores,
Ad nigrum & rubrum plurima damna creant.
Nanq; nocent oculis: hinc viscere vomica furtim
Nascitur, & putridus gignitur inde cruor.
Ergo vel anguillas & obeso cortice tinchas,
Atque huius classis ne mede, si quis erit,

Sed magefac fugias perpingui corpore pisces, Tem.
Piscis adeps secum dira venena fouet.
Scribimus experti, colerem dum littora Iani,
Pene mihi pingues causa fuere necis.
Ergo quid excerpis ceruicis ab osse medullas?
Quid ventres, oculos perdite asote voras?
Plus satis illa nocent, quamuis sint grata palato,
Sic misere interdum quæ placet esca necat.
Et crebro occulitur dulci sub melle venenum,
Sed gula nos memores non sinit esse necis.
Deniq; dum liceat, si vesci piscibus optas,
Elige veliuoli quos maris vnda tulit.
Et calidis (vsum contra) vescaris oportet, Pisces frigidi mali.
Ni vis (vt vidi) plurima damna pati.
Crebrius hinc ingens cholicus dolor infima torquet,
Frigidus hinc sudor cum nece sæpe venit.
Læti fera hinc tolles, gelidisq; apsichia membris,
Quando suam frixi præterire diem.
Et mihi rana placet, vitreis quæ fertur ab vndis,
Capta sed in putridis rana nocebit aquis. Rana.
Nam succi nimium pluuij, & limosa maligni
Creditur, & lautis non satis apta viris.
Eligat elixas quem lepra, aut regius vrget
Morbus: vel pectus cui mala tussis agit.
Mansa phthisim putrem, & durum testudo lienem Testudo.
Soluit, & oua sacro sunt medicina malo.
Cancer in autumno pinguescens, vere vel imo Cancer.
Adsit, pulmoni mensa secunda putri.
Plus habet is pulpæ, crescunt cum cornua lunæ:
Caussa est, tunc crescunt alba medulla, cruor.
Sæpe vices huius pro lumine cornibus vtens Limax.
Ipsa subit, stomachum plus iuuat atq; iecur.
Ostrea non damno pontho deducta profundo, Ostrea.
Cum crescunt Triuiæ lumina magna deæ.
Sunt quibus arrident cirres, loligoq; cruda, Cirres. loligo.
Certe ego conuiuis non probo cruda meis.
Imo Pæoniæ Gallenus signifer artis, Lib. de cacochimia.
Cum cancris etiam cocta nocere putat.

Calid. Ignea vis salsis sed edant quos publica Bacchi
Numina delectant, forte ve pectus habent.
Consule me, tandem monachorum prandia pisces
Effuge, cui veneris gaudia crebra placent.
Mollia phlegmatico disturbant corpora succo,
Hinc scabies, crassus gignitur inde cruor.
Nam (scio) non prosunt quibus est vis parua teporis,
Quos vt suo fouit docta Minerua sinu.

ELEGIA XI.

Caseus, Butirum, Oua.

Caseus. CVm soleat condire dapes & claudere mensas
Caseus, hec operis pars sibi iure datur.
Ille licet gignat crassos in corpore succos
Qui minus officiat scribere musa iubet.
Non hunc dira fames lautis apponere mensis
Sed gula forte mero non satiata iubet.
Caseus is prestat: qui matris ab vbere luget.
Vel vetus atq; recens inter vtrumq; tenet
Nam vetus & putrem mensis arcere iubemus
Vesicæ, & cerebro quod mala multa ferant
Placentinus. Huic debetur honos quem pulchra Placentia nobis
Florentinus. Florens vrbs Arni. Lauda Cremona premit
Laudensis.
Cremonensis. Cur tua conticeam Bergomum pascua, cum sint
Bergomensis. Italiæ nullis inferiora iugis?
Castri roni Terthonensis. Laudatur Derthona tuo qui fertur ab agro,
Sed (verum vt fatear) non mihi forma placet.
Aluerniensis. Gallia nec spernas quos alta Aluernia prebet.
Ambertensis.
Craponensis. Quos mons Amberti quosue Crapona tibi.
Balearicus. Gratior Hyspano pressus Balearibus oris
Sic gaudet rebus patria queq; suis
Sunt quibus arrident mox mulsi fercula lactis.
Quæ probo: nam subito gignitur inde cruor
Mella sed accedant, vel sacchara, dilue vinum.
Ne caput & stomachum non bene mixta grauent
Sunt etiam niuei quædam discrimina lactis

Sunt

Sunt quibus est aptum sunt quibus illud obest,
Obsita limosis viciant lac pascua iuncis
Sed iuga lac augent vtiliusq; ferunt
Tum quoq; commodius cum nos in tecta coercent
Solis equi, & cantu fessa cicada crepit.
Sed minus autumno, vel cum niue turbidus æther
Lecta per æstatem cuncta vorare facit
Castaneas molles, dulci pira mersa falerno
Coctaq; prunosis nespila, rapa focis.
Sit licet ipsa prior multis optabilis ætas,
Facturam illius non tamen vsq; probo
Nec fœtum senij, media est laudabilis ætas
Etatis mediæ lac placet ergo magis
Quod satis est, sumto verum ne ventre putrescat
Nolo petas alias deliciose dapes
Næc dormiturus mox sternas corpora lecto
Ni caput, & renes ledere & exta velis.
Immo quiescendo metam prescribe labori,
Sic cibus, & potus, sic medicamen erit.
Humet & igne tepet sumptum cum melle butirum
Pulmones mira sedulitate leuat,
Pectus alit, neruos demulcet, viscera laxat,
Estq; venenatis morsibus antidotum.
Da gallina mihi, modo sis compressa marito
Oua, parum Zephyris illa creata valent.
Vel quæ confrictu in cineres concepta creantur,
Sic nosces, in aquis non bona missa natant.
Da mihi nata modo, vitreis da molliter vndis
Cocta, vel ad prunas, frixa colonus edat.
Renibus, & iecori prosunt, veneremq; iacentem
Extimulant, subito sed tamen illa putrent.
Hinc fit, quod noceant stomachi quibus ignea vis est,
Sic nihil ex omni parte iuuare potest.

Butirum. Oua. Ouorum vsus.

ELEGIA XII.

Ortus.

Non

Lactucas, betas, misce & spinachia maluis,
Vt viuas Pylij tempora longa senis.
Quamuis laudetur species non vna selini, Selinum.
Non tamen est crebris continuanda cibis.
Menta placet stomacho, vomitum compescit, orexim. Menta.
Excitat, ad venerem calcar habere ferunt.
Non minus hac confert apibus iucunda citrago, Melissa.
Cor fouet, & cerebrum, creber at vsus obest.
Sunt quibus arridet suauis sampsucus in escis, Maiorana.
Sed tantum est iuscis herba probata meis.
Vt cerebrum purget, mensesq; educat, hydropi
Conferat, his morbis qui crucientur edant.
Ozima nun prosint (dubio sub iudice lis est) Ozimum.
Hic probat, hic contra pene venena putat.
Et puto non prosunt a citro nomine dicta
Cætera sunt iuscis ozima grata meis.
Saluia ceruici & tremulis iucunda lacertis, Saluia.
Crebrius apponi non cupit illa cibis.
Perdere lumbricos, crinito & consule Phœbo, Ex Aetio.
Ad prolem uuluas sumpta parare solet.
Ventris sistit onus, vesicam & menstrua soluit,
Deuorat hanc si quem tussis anhela quatit.
Quærite fœniculum nutrices, lacte papillas Foeniculum.
Replet, & interdum menstrua pigra mouet.
Querite vos etiam quorum vesica lapillis
Læditur, aut quorum pectora phlegma premit.
Erucam penitus iubeo vitare salacem, Eruca.
Nam cerebrum tentat, vanaque spectra mouet.
Thurificam pariter damno libanotida mensis, Rosmarinum.
Sit capiti & stomacho & dentibus apta licet.
Et lauer atque cium & cognata Sisybria mentæ, Sisibrium.
Sunt grata oxibafis cum niue canet humus. Lauer. Cium.
Crebrius hæc sumes cuius vesica lapillis,
Aut lotio premitur tu tamen adde modum.
Nam bona quæ montes, quæ campi, aut flumina gignũt
Ni veniant apto tempore, degenerant.
Et iecori & tumido succurrunt cardama spleni, Nasturtium.
Et cerebrum mira commoditate iuuant. Pli.

Ventris sistit onus, vomitum compescit, orexim
Acetosa. Excitat, oxalis munda vel ora tenet.
Scolimos. Ignea vis cinare ventoso fulta liquore,
Hinc est quod venerem conciliare solet.
Illa tamen stomacho & lumbis succurrit, & hepar
Calfacit, & lotij membra relaxa tenet.
Has coque parce meis crudas apponere mensis
Aut veteres, nam nil commoditatis habent.
Sinapi. Ni foret exiguo virtus non parua sinapi,
Non ita Pythagoras excoluisset idem.
Ruta. Adde nucem & ficum procul arcet ruta venenum,
Imo ingens pestis creditur antidotum.
Cit lotium & menses, matricis crimina tollit,
Hanc edat ad venerem qui cupit esse piger.
Sed quorsum venerem tentas turbare modestam
Tempore & exusu dum venit, apta venit.
Mensis tolle graues serua ad medicamina rutas
Has quibus ingeniun aut visus hebescit edant.
Verbena. Sim verbena licet pingui non grata culinæ,
Sum tamen omniuoræ prima medela luis.
Sponte licet surgam, nullum me dignius hortis
Est olus, imo mihi gloria sacra datur.
Ergo quid excludis sacram me versibus herbam?
Quin celebras titulos Vrse poeta meos?
Tot mihi (nam nosti si vis Vrsine fateri,)
Vires, quot media sidera nocte micant.
Enula. Interdum mensis inulam miscemus olentem,
Quando brumali frigore terra riget.
Tunc cor, tunc lumbos vesicam & pectora mulcet,
Sed caput immodice sumpta calore petit.
Vt caput offendat, tristes tamen excutit iras,
Et grati stomacho dona teporis habet.
Miror cur veniat nostras tam rara culinas,
Cum melius nullum deferat hortus olus,
Sed coque culpa tua est, naturæ munera spernis,
Et tantum curas vsq; placere gulæ.
Parce tuas taceo laudes hysope, quod ægris
Quam sanis tua vis aptior esse solet,

Scilicet asthmaticis, & qui pulmone laborant
 Interdum sanis sumpta iuuare potest.
Vrtica interdum quamuis sit noxia tactu,
 Mixta iuuat, libræ sol vbi signa subit. Urtica.
Vel cum dux pecoris partem sibi vendicat anni,
 Tunc facit ad nostras quælibet herba dapes.
Non modo tunc olerum genus omne, at lege vetusta,
 Mille venenatas cogimur esse dapes.
Soluere duriciem splenis, sedare podagram:
 Cum lotio, stercus namq; ciere potest.
Si potis est lupulus febrium curare tepores,
 Qnos cruor impurus vel tetra bilis agit. Lupulus.
Cur iubet hanc medicus nostris arcere culinis? Erabs.
 Forte quod hoc sanctum non bene norit olus.
Aemula saxifragæ vi bimpinella lapillos
 Rumpit, vesicam nec sinit esse grauem. Bimpinell.
Aiunt (si qua fides) febrium curare rigores,
 Cui dolet epar edat crebrius oxibaphis.
Quamuis irriguis pasſim non surgat in ortis
 Barba hyrci oxibaphis est tamen apta meis Barba hyrci.
Adde pedem corui vulgato nomine stellam, Herba stella.
 Et que de rapi nomine nomen habet. Rapunculus.
Quam bulbi aut cepæ lini de semine gignunt, Condrilles.
 Ob flammas gelidis mixta iuuare solet Cerfolium.
Sed neque condrillas, nec amaris intyba fibris
 Improbo, gratum apibus si placet adde thymum
Ignea vesicæ & stomacho gingidia prosunt
 Ex his oxibaphum confice more tuo.
Compescit bilis succosa cucurbita flammas,
 Et iecur, & renes, semina munda lauant. Cucurbita.
Illa nocet, quorum cholicus dolor infima torquet,
 Et validos morbos non bene cocta creat.
Ergo, face accedant sampsucus, & ozima, menta,
 Serpillum, maratrum, cynama grata, crocus.
Citrulli & cucumer paruo discrimine distant,
 Et ventri, & stomacho fructus vterq; nocet. Cucumer & Curullus.
Non sic forte nocet, flagrat quibus ignea bilis,
 Vel qui ventriculi cuncta calore coquunt

Porrum. Sunt qui non laudant capitati segmina porri,
Quod ventri, & capiti plurima damna ferant,
Siue quod inducant insomnia plena tumultu,
Dentibus & stomacho siue quod illa nocent.
Sed quia pulmones, & pectus curat anhelum,
Laudo hæc cornupetæ sol vbi claustra tenet.
Cepi & bulli. Cepis & bulbis uis est ingrata maligni
Fomitis: illa voret qui cupit esse salax.
Cocta minus lædent, imo Gallenus orexim
Addere ventriculis grataq; valde putat.
Fœda buseclarum quamuis tyriaca putentur
Allia. Allia, vel venerem conciliare queant,
Iure tamen possum lautis arcere culinis,
Quod fœdo & putrido sanguine corpus alant.
Hæc minus ignis habent, quando bis cocta vorantur,
Aptior ad numeros sic erit ipsa venus.
Pastinaca. Si rubet & pingui fertur staphylinus ab horto,
Et stomacho, & veneri non inimica placet.
Sed quæ montanis defertur candida pratis,
Vt lotium moueat, pectora namque grauat.
Rapum. Inter radices gaudenti frigore rapo,
Napus. Napo & congeneri prima corona datur.
Illorum laudes Bigoterus carmine scripsit
Claudius bigoterus. Claudius: inque ingens rapa coegit opus.
Ni mirum fuerat talpa modo cæcior at nunc
Vsu raporum clarius angue videt
Adde quod his potuit podagræ lenire dolores
Crebrius & dominam supposuisse suam
Debuit is merito super æthera tollere rapam,
Quæ sibi, quæ dominæ commoda tanta tulit,
Raphanus. Ventosos moueam quamuis in pectore ructus,
Dentibus & capiti plurima damna feram,
Ipse tamen penso maiori munere damnum,
Et mihi (non rapo) gloria prima datur.
Vesicam & ventres refero, succurro lieni,
Et renum lapides destruo, curo phthisim.
At me cautus edas, crebro sub cortice vermes
Nota. Occulo, qui mortis dira venena ferunt,

Educo

Educq menses, quatientem viscera tussim
  Supprimo, me sumpto lacte papilla tumet.
Iam batis accedat, nobis quæ inducat orexim, Batis bolgobasigles.
  O nimium lumbis planta secunda meis.
Et iecori confert, vesicæ & pondera soluit,
  Et caput, & stomachum grata tepore iuuat,
Nam vice sæpe batis spleni iucundior atro
  Flos, sale conditus capparis esse solet. Capparis.
More batis docuit flores condire genistæ Flos genistæ.
  Rebosius patriæ spesque decusq; suæ
Quos probo, nam stomacho prosunt, duroq; lieni, Zolma.
  Saxaq; de lumbis puluerulenta trahunt.
Hunc aluum soluunt, de nodis phlegmata ducunt,
  Quæ diram podagram, multaq; damna parant.
Ementitur Arabs, mentitur Græcia mendax,
  Et quotquot uomitus sollicitare ferunt.
Adde mel excutiet fœdantes guttura strumas
  Non ede sed sunto mane bis octo dies.
Et sale conditas baccas laudamus oliuæ, Nota.
  Qui sapit has acido non sine rore voret.
Extenuant anisi crassum exarentia phlegma Oliuæ.
  Grana, iecur mira commoditate leuant.
Hinc stomachum, & renes, vesicam, & menstrua soluũt Anisum.
  Gutturis, & vuluæ sedula in obsequijs.
Ventosum illiacum soluunt: vitioq; lienis
  Occurunt. tantam vim leue semen habet.
Pisa iuuant. si sicca parum, cum Syrius ardet, Pisa.
  Sed minus exuto cortice crimen habent.
His decet accedat succus pallentis oliuæ,
  Vt placeant siliquis damno norata suis.
Ignea vis ciceri, sed iuri gratia maior, Ciceri.
  Renibus, & iecori quod bona multa ferant.
Contra, valde inflat ventosa cicercula ventres, Cicercula.
  Illa voret quorum colla cuculla tegit.
Sæpe melancholicos gignit lens parua dolores, Lens.
  Hac sumpta, dentes dira venena gerunt.
Inflat, & inducit tristes faba terrea somnos, Faba.
  Pythagoram satis est abstinuisse fabis.

Oriza. Ni ſit menſa frequens, multum laudamus orizam,
Nutrit, at infeſta corpora mole grauat.
Tam bene conditos in putres mitte cloacas,
Fungi. Vel potius fungos ſume magire tibi.
Quippe venenoſa turbant calligine ſenſus,
Ceruicem & ſtomachum, cunctaq; membra grauant,
Veſsicam occludunt, viſcoſo phlegmate replent
Pectus, & ad mortem non leue virus habent.
Si cui forte placent pratenſes quærat olentes,
Vtque minus noceant ſint pyra cocta ſimul.
Nota. Proderit & puri calices haurire falerni,
Antidotum virus nam ſolet eſſe merum.

ELEGIA XIII.

Fructus.

HVc huc carpophagi celeres diuertite greſſus,
Huc auido ad menſas ore venite meas.
Ecce venit plenis calathis iam candida Nais,
Fert pyra, fert vuas, Perſica poma, nuces.
Sed parca tentate manu, latet anguis in herba,
Et dape ſub dulci non leue virus ineſt.
Namque malos gignunt fructus in corpore ſuccos,
Hinc febris, hinc ſcabies, mors violenta venit.
Ergo modum, metamq; gulæ perſcribe voraci,
Ne vehat in morbos te malefida graues.
Vua. Dulcis in apricis candeſcens collibus vua,
Nutrit, & optati dona liquoris habet.
Nam ſuccus fluidam, cortex & grana tenacem
Efficiunt aluum, ſic dat vtrumq; ſimul.
Mane ſed vda nocet uentris torquendo ſaburram,
Ergo ſine ad ſoles ſit remorata duos.
Paſſa. Paſſi Corinthiacis ad nos quæ fertur ab oris
Præſtat, continue hanc cui dolet hepar edat.
Huic mox ſuccedit plantarum gloria ficus,
Ficus. Et puto plus vuis corpora noſtra fouet.
Natus in Hyrcanis excellit collibus omnes,

Hinc

Hinc albo & viridi proxima palma datur.
Non vacat hic medicas ficus deſcribere vires,
Non canimus medicis, imo guloſe tibi.
A pede cur dictos gignunt in corpore vermes,
Res eſt, his tepidus, craſſus & humor ineſt.
Applaudunt (fateor) ſuaues ſpirantia odores
Poma: ſed interdum, quod placet, illud obeſt
Poma minus lædunt, cum torrent arua per æſtum, Poma.
Vel quibus exagitat bilis amara iecur.
Vel cui corda tremunt ſtomachi concuſſa calore,
Adde quod illa minus cocta nocere ſolent.
Perſica febrilis quondam mihi cauſa rigoris Perſica.
Sunt mala, ni menſæ ſint prior eſca tuæ.
Nimirum mala ſunt, nundum poſuere venenum,
Dij male dent Perſis qui prius illa tulit.
Damnamus pariter vino quæ ſicca coquuntur,
His, coctoq; mero, terreus humor ineſt.
Scilicet aerius rapido conſumitur igni,
Terreſtris remanet, ſed gula cuncta vorat.
Pruna ſumus duros leuiter ſoluentia ventres
Ante cibum, ſed poſt commoda nulla damus. Pruna.
Eſt virtus nobis, cholerum ſedare furores,
Frigida ſed ſtomacho ſæpe ſiniſtra ſumus.
Non ſic officimus defruto cocta, ſed aluus
Siſtitur hinc nobis gratia maior ineſt.
Sunt qui nos Syria commendant vecta Damaſco.
Sed ſumus Hiſpani nobiliora ſoli.
Quare damnantur ceraſi prædulcia poma? Ceraſa.
Acria cur contra mixta iuuare putant?
Forte quod illa mouent, ſed ventres acria ſiſtant,
Adde modum, lædet fructus vterque parum.
Sed pyra quæ veniunt rigidis de formia campis, Pyra.
Et quæ ſunt acido plena ſapore, nocent.
Illa nocent, verum vomitum compeſcere & aluum Diaſ.
Poſſunt, & fungi ſunt medicina mali.
Cætera ſaccharæo, vel moſchi grata ſapore,
Auxilium cordi conciliare ſolent.
Frugibus acrijs iuglans non proſpera ramis, Iuglans.

Exiguam

Exiguam partem carminis huius habe.
Tu caput, & stomachum, tu linguam & guttura mordes,
*id est melle condito. Ergo vale, potius° melle repleta, veni.
Castaneę. Ipsa licet rigeam, molles sub cortice fructus
Occulo vel gratos cui bona uina placent.
Non hos dira fames, imo fastidia mensæ.
Commendant: nunquam est sic satiata gula.
His caueas (moneo) ventris farcire saburram.
Ni te vulturcum pectus habere putes.
Sydonia. Da mihi sacchareis decocta Sydonia succis
Poma, cor & stomachum, & viscera laxa iuuant.
Tristia discutiunt atque in molimina segnes
Impingunt, face eant vltima mensa tibi.
Fraga. Grata sumus iecori nascentia fraga rubetis,
Et cordi, & capiti cociliamus opem.
Sunt qui nos credant concretos soluere menses,
Si tenuis fructus fœmina potet aquam.
Hinc balbam tenero dolamus in ore loquellam,
Sæpius ex lymphis si puer ora lauet.
Sorba. Sorba sumus fluidos multum sistentia ventres,
Verum immaturis non leue crimen inest.
Mespila. Sed magis astringunt lotium impelendo tricoca
Chordapso affectos grana lenire ferunt.
Amygdala. Dulcis ob electum laudatur amygdala succum,
Cocta sit, & tenui cortice munda suo.
Auellana. Lædit auellanæ quamuis sit vocibus aptus
Nucleus, ad venerem non leue calcar habet.
At si cum carie mixta putredine vermes,
Planta ferat, fructus non leue virus habent.
Nota. Pelliciant quamuis & forma & guttura odore
Non ede ne mortis sis tibi causa tuæ.

ELEGIA XIIII.

Aromata.

Cynamomum. CYnama diuino fructus portantia nutu
Si desint, sapient fercula nostra parum.

Non

Non modo restituunt prostratam pectore orexim,
Sed iecori, & lumbis commoda multa parant.
Hinc oculos acuunt, stomacho, tremulisq; lacertis,
Vesicæ, & vuluæ, & prouida pectoribus.
Humet, & igne furit neruorum zinziber ingens, Zinziber
Subsidium, & crassi phlegmatis antidotum.
Sed pipera excedunt crebris arcenda culinis, Piper.
Causa est, quod lepram crebra creare solent,
Siue quod excludant conceptum uiscere fœtum,
Bile vel affectum quod iecur exagitent.
Abstergunt oculos, vexantem pectora tussim
Sedant plura aluum, pauca mouent lotium.
Nux muscata adsis, nostris optata culinis, Nux myristica
Vesicæ & vuluæ grata tepore veni.
Tu iecur, & stomachum, tu crasso rore lienem
Corrigis: & ventris prouida sistis onus.
Si stomachum firmat, nocuas si discutit auras
Cur aberit Cypriæ grata galanga Deæ?
Stiptica mordaci vis gustu grata macero,
Confunde hunc iuschis Apiciane tuis.
Iam crocus exornet nostras sine crimine mensas, Crocus.
Non nocet, imo crocus gaudia magna parat.
Sed modus accedat: nam quæ preciosa videntur,
Prodiga sæpe manus degenerare facit.
Sed quid ab extremis miramur vecta Sabæis
Cynama? & ignitum zinziber? atque piper?
Certe iuniperi præstat condire culinas Iuniperi grana.
Semine, plus illis commoditatis habet.
Succurit stomacho, torquentem & pectora tussim
Demulcet, renes nec sinit esse graues.
Effringit lapidem, vesicam, & menstrua soluit,
Illiacum sedat si qua medella malum.
Allia quis si edet, capitati aut tegmina porri,
Mandet iuniperi semina, fœtor abit.
Basia tunc poterit blandæ dare grata puellæ,
Qualia continue dat mea nympha mihi.
Mense prius maio fuluas numerabis aristas
Quam quæ dat labris oscula chara meis.

Adde quod id pasſim noſtris reperitur in oris,
Nec patitur toties ſoluere marſupium.
Gariophila. Emendant oris fœdos gariophila odores,
Et vomitum, & ventris ſumpta morantur onus.

ELEGIA XV.

Venus.

HVc Venus orta mari, quæ mitia corpora reddis,
Adſis: & partem carminis huius habe.
Te prius excolui, quam diuæ Palladis artes,
Et tua (ſi quæris) nunc quoque caſtra ſequor.
Et prius emoriar, (procul abſit ſpurca libido)
Quam linquam. regni publica ſigna tui.
Temperata & prouentia te natura. Et merito quis enim mores licet ille cucullo,
Diſsimulet, milles non vellit eſſe tuus?
Sola graues iras animo tu triſtia pellis,
Tu vires reparas, feſſaq; membra leuas.
Tu vegetas ſenſus, & atra tu bile furentes,
Corrigis, & mores cogis inire bonos,
Ellicis ex craſſo congeſtos phlegmate ſuccos,
Cis lotium & lumbos non ſinis eſſe graues.
Ergo modeſta veni, ſed cum natura requirit,
Veraq; tentigo languida membra mouet,
In vere vbilior. Crebrior at venias omnis cum parturit arbor,
Fronde ſuper viridi treſq; queruntur aues,
Garrula cum primum circundat hirundo paludes,
Aut in limoſis rana coaxat aquis.
In æſtate rarior. Contra, rara veni cum torrent arua per æſtum,
Et ſol Herculei ſigna leonis habet.
Tunc iuuat arboreis verſus cantare ſub vmbris,
Ad vitreos fontes tangere plectra lyræ.
Interdum occeani cum Titan ſurgit ab vndis,
Populeas zephyri cum quatit aura comas.
Tunc venias (cedo) patulis excepta feneſtris,
Tunc leue, vel nullum. Cypria crimen habes.
Sed mox infernas cum ſol deſcendit ad vmbras,

Et requiem poscunt languida membra suam,
Sumito tunc robur placidos diffusa per artus,
Dum veniet ludis aptior hora tuis.
Aegyptum repetas piscis mentita figuram,
Cum grauis e trunco scinditur vua suo.
Vere recenta noces in atrum conuersa venenum,
Autumno contra sæpe soluta, necas.
Non sic arcta gelu cum tellus omnia perdit,
Cum stare ob Boream cogimur ante focum,
Tunc iuuat electæ teneras tractare papillas,
Tutius & stricto nocte fouere sinu.
Esto procul, vana quamuis tentigine rumpar,
Mox vbi sunt dapibus membra referta suis.
Vel cum torua fames ieiuno in corpore latrat,
Vel cum sudifico membra labore iacent.
Quin precor in teneris venias quæsita puellis,
Purpureus quarum surgat ab ore color.
Pellis ebur referat, paruis sint fulta papillis,
Pectora: & æoi lumina more micent.
Nigra supercilia inflexum falcantur in arcum,
Sint rutili crines, frons pia, longa manus.
Qualis nuda soles depingi in montibus Idæ,
Aut raptu cuius Troia cremata fuit.
Qualis & admoto quæ mollibus aspide mammis,
Oppetijt, mœcho commoritura duci.
Talis nempe iuuat collo pendere lacertis,
Et dare puniceis basia grata genis.
Oreq; lacteolas suaui deducere mammas,
Et tandem femori conseruisse femur.
Ad coruos abeant (nimirum virus ephebis)
Quarum iam vultus ruga senilis arat.
Et quibus ora rigent, vel pectore screta profundo,
Vi ducunt, naso longa ve mixa fluit,
Vt pudeat dicam, præstat quia ludere dextra,
Prolificos renes quam mihi sugat anus.
Hinc venerem fugias que non vtrimq; resoluit,
Immo crede, ingens vel meminisse nefas.
Dicitur alma venus quod alat, non semina perdat.

Nota.

In autumno mala.

A pastu.
Et fame & labore mala.

Qualis amica eligenda sit.

Cum vetulis non coeundū.

Forſan & hoc merito nomen in aſtra tulit
Aſtra ſodomitas Cœli de ſedibus arcent.
Cuncta ſuas mutant hinc elementa uices.
Proq; ſuo vitio rerum corumpitur ordo,
Hinc veniunt peſtes, fulgura, bella, fames.
Iure igitur Medices debent hec ſecula COSMO
Qui tantum ex latio ſuſtulit orbe nefas
Hunc velut Alcidem ſummo Deus æthere miſsit,
Vt foret hetruſco forma, decus que ſolo
Patria Tuſca olim fuerāt que lerna malorum.
HocDuce nunc morum tota nitore placet
Hoc Duce ceſſerunt fraudes, periuria, fœnus
Et ceſsit quicquid ſeditionis erat
In quorum, ſubiere locum caritasq;, fidesq;,
Aurea pax, ſanctæ relligionis amor.
O fœlix, florensq; nimis Florentia tanto
Prencipe, quem mundi regia ſceptra decent.
Coſme decus latij, noſtri noua gloria ſecli
Diue diu, veri norma futura Ducis.
Exemploq; tuo diſcant quos ſceptra decorant,
Viuere, vt æternum nomen in Aſtra ferant.
Hinc modus accedat veneri, nam noxia crebra eſt,
Eneruat vires, ingenioq; nocet.
Intempeſtiuos inducit vertice canos,
Et tremulam vocem, membraq; laxa facit.
Nec ſtando ſubeas veneris certamen amœnum,
Sed capiat ſtratos proxima terra duos.
Proxima terra duos, non præſto ſemper habentur
Gramina, nec pluma culcitra plena leui.
Sed dices legem quare præſcribis amanti?
Non venit ad uotum ſemper amica Venus.
Imo ſatis fœlix rara qui gaudet amica,
Interdum & glacies plus iuuat arcta thoro.
Parcite non vobis, ſed legem ſcribimus illis,
Qui ſemper præſto pignus amoris habent.

Laus Coſmi Medices Florentinorum Ducis.

Elegia

ELEGIA XVI.

Somnus & Exercitium.

PVblica curarum requies placidissima somne, *Somnus.*
Pax animi, & vitæ spes melioris ades.
Spes (inquam) quoniam cessant in morte dolores,
Non secus ac somno cum dolor omnis abest.
Somnus item crebro germanæ mortis imago, *Somni ad mortem collatio.*
Corpora cum nimio victa sopore iacent.
Scilicet, vt sobrij membra insopita vagando
Mens ouat, & pleno corpore languet iners
Sic vbi corporeas liquit mens libera sordes,
Iam fruitur summo perpetuoq; bono.
Sed male qui vixit, subit is cum morte dolores: *Nota.*
Sic somnus vitæ spem quoque mortis habet.
Viuite sic ergo, vt vitæ melioris imago
Sit sopor, & placidus per leue corpus eat.
Relligio, & pietas, & Diuum numina curæ,
Sobrius & vitæ sit sine labe tenor.
Et modus accedat placidæ & mensura quieti,
Ne pereat somno non reditura dies. *Somni commoda & incommoda.*
Paruus & immodicus diuerso crimine lædunt,
Plus satis impingant tædia longa thori.
Inde saginata torpescunt corpora mole,
Nec somnus modicus damna minora parat.
Vera quies, tantum bis tres sibi vindicat horas, *Quot horis dormiendum.*
Tempus id excedens, ad styga pandit iter.
Ad styga pandit iter, somno corrumpitur ætas,
Mens hebes, & scabies, & malus inde cruor.
Si sapias noli fuerint cum viscera tensa, *Quando & quomodo dormiendum.*
More suum segni mox dare membra thoro.
Treis horas saltem requies distabit ab escis.
Et sopor in media luce cauendus erit.
Et latus in dextrum (nimium nisi ferueat hepar,)
Dehinc læuum, aut contra nocte cubare bonum est,
In renes nunquam, venus hinc sine compare surgit,

Incubus

Incubus, hinc phrenesis pluraq; damna fluunt.
Culeus e plumis qui non bene concoquit escas,
Prodest, vel stricto fota puella sinu.
Hæc quoq; Pellæo placuit sententia regi,
Doctus Aristoteles cui documenta dabat.
At uideant (moneo) vel quos gibbosa senectus
Iam premit: ad verpæ ne calor ima petat.
Sæpius extinctos renouat puer aliger ignes,
Crescit & e siccis sæpe fauilla rogis.
Sic venus admotis canos damnosa puellis,
Ridicule lusus cogit inire suos.
Mox vbi fulgenti pallantias exit amictu,
Surge, nec in lecto tempora cara teras.
Verum, non subito tanquam cursurus in hostes,
Sed lente: vt ventris stercus ad ima fluat.
Nota.
* i. Oleo.
Vnguine* amigdaleo spinam prius ille perungat
Corpore non curuo qui cupit ire senex.
Hinc tensis pasim neruis spaciaberis aula,
Solue aluum, & scretum conspue, pecte caput.
Pecte caput, mundato manus, hinc templa Deorum,
In Christo vt valeas I petiturus opem.
Si nihil obstiterit pauxillum sume meraci.
Fiet alexicacon pestis & antidotum
Quæ aluum lubricã reddunt.
Vt ventrem soluas, decocto mercurialis,
Adde mel, hoc sumpto viscera laxa fluent.
Prunaq; conuenient Syria deuecta Damasco,
* Apud dioscoridem.
Maluaq:, vel violæ casia, manna* crocus.
Ius betæ, & caulis, ius cæpe, & pingue butyrum;
Lac mulsum, ficus, vuaq; sumpta recens.
Et quæ poma cydon Cretæis misit ab oris,
Exercitij varia genera.
Et pyra post epulas: fluxa sed ante manent.
Hec si non possunt concretas trudere feces
Ex picra globulum sero vorare potes.
Aptius interdum, raro licet extat in vsus
Confectum varia lege propoma bibes
Si cupis incolumem tandem traducere vitam
Mane face vt venter qua potes arte fluat.
Ante dapes prodest facili certare palestra,

Per iuga vel celeres ære ciere canes:
Aut certare pila, aut longo torquere rotatu,
Plumbatos manibus per sola plana globos.
Et iuuat in circis longo concurere conto,
Et gladium celeri conglomerare manu,
Qui nunquam bellum victi torpedine fingunt,
Hostibus euictis nulla trophæa gerent.
Vnde Petrus Marius Rubeæ lux maxima gentis,
Militiæ vt specimen iure colendus erat.
Hector nixus equo cui vel cessisset Achilles,
Viribus Alcides, pectore Nestor erat.
Nunquam pro patria nunquam pro Principe bellum,
Nunquam pro fama pertimuisse palam est.
Qui nunquam victus, sed victis hostibus amplam,
Et laudem, & spolia, & digna trophea tulit.
Ante diem Aethæereas vi fati migrat in arces,
O mors, mors summis, mors violenta viris
Falce quidem tanti potuisti perdere vitam,
Immortale decus perdere falce nequis.
Non ego facta canam totum quia nota per orbem,
Ex austro ad boream & solis vtramq; domum.
Sed domino submissa suo Florentia dicet,
Qualia sint Mario bella peracta duce.
Et Rex Francorum latio qui climate ductum,
Præfecit castris consciliisq; suis.
Fuste globos etiam confert agitare sub arcum,
Siue pila in numerum sternere ligna solo.
Scandere monticulos, vocesq; audire volucrum
Mane iuuat, quando terra calore riget.
Sed contra petito fontes loca grata Napæis,
Cum subit æquoreas argirotoxus aquas.
Ad vitreas vndas hamis, vel rethe dolosis,
Tendere quid prohibet piscibus insidias.
Vel mare leucotheæ & Zephiris sulcare secundis,
Tutius exiguas naue secabis aquas.
Vel lege, vel canta, aut lente spatiare per aulam.
Quelibet apta tibi causa laboris erit.
Sed tua membra caue nimio lassare labore.

Laus Petri Marij Rubei comitis S. Secundi.

Con

Consule me, sudor meta laboris erit.
Si quid forte vetat, velut inclementia Cœli,
Vel dolor, aut senium, membra fricare iuuat,
Sed modus accedat, soluit nimis aspera porros
Fricto, tu solers inter vtrumq; tene.
Denique, morbosam quisquis differre senectam
Optat, is assiduo membra labore nouet.
Cernis vt inficitur spretum rubigine ferrum,
Ocia sic putrido sanguine corpus alunt.
Ouidi. Sic ager ingratis non cultus sentibus, horret,
Et capiunt vitium ni moueantur aquæ.
Aera sed argenti referunt perfricta nitorem,
Et pedibus crescunt sic croca pressa magis.
Ocia sperne igitur quæ sunt coruptio mentis.
Quæ scelerum, & causas mille doloris habent.
Notá. Cum fueris tandem longæuo corpore sanus.
Cœlestis patriæ sis memor vsque decet.
Vita hominis bulla est, cunctis agitata periclis,
Perpetuum virtus & benefacta manent.

FINIS.

Paralipomenon.

Persica. Persica si quis amas in apricis consita terris
Ellige, in irriguo non probo nata solo.
Offendunt dentes, nec sunt pulmonibus apta,
Illa sed arboribus sunt bona lecta recens.
Lecta recens, perdunt biduum seruata vigorem,
Colectis & humo gratia valde minor.

Melones. Miror cur damnent Medicorum censa pepones,
Cum nihil his optet sexus vterq; magis.
Nimirum, e tenui tam vasto corpore planta
Si surgunt, vdos quis minus esse neget?
Cui tamen arrident, sint primæ fercula mensæ,
Sic lumbis prosunt officientq; minus.

PETRO ANTONIO LAVRO LEGVM consultissimo fiscique Cæsarei Aduocato incorruptissimo. Ioannes Vrsinus. S. D.

Elegias de peste & victus ratione ad Cosmum Medicces quod tam diu ne ederentur suppresserim, duo potissimum in causa Laure disertissime fuerūt. Alterum quia Libellos de Puerorum & Mulierū affectibus quos Lauræ castissimæ tuæ coniugi ex clariss. totius Pedemontium Chacheranorum familia dicaui: his statim adijcere animus erat. Alterū quia tot ac tantis negotiorum vndis distractus sui, ut uix ocium a scalpēdis auribus suppeditarit, taceo illas lippis & tonsoribus notas inuidorum in me cauillatiōes & maledicta, Quotusquisque est qui nesciat me ita in suis cōcionibus in conuiuijs, in coloquijs, & per compita omnia ab huiusmodi laruis dilapidatū vt ne ipsi quidē Stephano si censurus? Verum (vt illos ad coruos relegemus) mecum belle actum esse puto, quādo mihi abs te persuasum est (idque omnium doctorum calculis) vt istos de Puerorum & Mulierū affectibus libellos seorsum ederem. Deinde qd tuo cōsilio, fauore, & adminiculo, atque authoritate effectū est, ut omnes pene obmutuerint, meque meo (ut aiunt) fato frui sinant. Itaque Laure celeberrime, atque eximie, hasce Elegias recens veluti renatas tuo suasu Lucinæ beneficio donaui, sed hac lege, vt tu quēadmodum meæ tenellæ ætatis studia, meos versiculos solebas corrigere & emendare, mores arguere (tibi enim amico optimo meorum studiorum maximam partem acceptam refero) ita nunc fœturam hāc veluti maxima ex parte tuā ab inuidorum morsibus vendicare velis, sic fiet vt in dies quid magis atque magis excultum in cōmunem hominum studiosorum utilitatem ex museolo nostro exeat. Atque in primis quos de Puerorum & Mulierum affectibus edidi Libelli Deinde illa omniū animantium ab vniuerso (vt accipio) hominum cætu tam expetita Prosopopeia Vale litterarum decus maximum, & legum ornamentum.

PETRI ANTONII LAVRI LEGVM Doctoris, ad Lectorem.

QVi cupit incolumen vitam traducere in annos,
Nestoris, & diræ tela cauere luis.
Perlegat Vrsini studioso pectore Carmen,
Et voti compos mox erit ille sui.
Quicquid Arabs scripsit, vel Cous, & ipse Galenus,
Id totum mira dexteritate docet.
Plaudite, vos nostris studiosi, plaudite seclis,
Quæ medicum, & vatem progenuere virum.
Pæonij proceres, Lauro citharaq; superbi,
Hoc duce per numeros, mox sua scripta dabunt.
Scilicet, hic totam medicinam tradere versu,
Filo & quam poterit commodiore parat.

ANTONII, FERRARII NITIANI in inuidos Imprecatio.

INuide dij Faxint secteris fata Licambis,
Quiue suo diram viscere pauit auem.
More patris Pelopis semper presentia quæras
Poma, & in optatis, sis sitibundus aquis.
Horrendum Cæco quicquid narratur Auerno,
In caput id redeat liuida turba tuum.
Sis tibi causa tuæ mortis, sis causa tuorum,
Vrsino quando tam fera bella moues.

IO. MARII CAMISANI PONTREmulani in inuidos Carmen.

BIs duo Solis equi, totidem te sanguine nati
Hydræ lerneæ liuor iniquevehunt
Quam vis in rabiem flammas de nare vomentes,
Et lassis loris te sine lege ferant.
Hos tamen Vrsini contemnit Musa Poetæ,
Effrenos virtus inclita domat equos.
Dic Rogo quæ speras pro bello præmia ? nulla,
Laude igitur nulla quid fera bella moues?
Desine liuor edax tantum lacerare Poetam,
Ne Premat Actorem missa sagitta suum.

FINIS.

ALEXANDRIAE.

EXCVDEBANT FRANCISCVS ET SIMON, MOSCHENI, FRATRES BERGOMENSES.

ANNO SALVTIS M. D. XXXXVIIII.